

surum de cœlo metaphorice, ita ut descendere de cœlo, sit relinquere Gloriam, Regnum, et Majestatem, quin potius tum maxime apparebit in majestate et potestate magna; igitur cœlum unde descendet, non est Regnum et Majestas, sed locus quidam; ergo ad locum etiam quemdam ascendit.

Quarto probatur ex loco Sanctorum. Nam ibi est homo Christus, ubi sunt, et erunt sancti homines. Jo. XIV: *In domo Patris mei mansiones multe sunt, si quo minus dixissem vobis, quia vado parare vobis locum, et si abieco, et preparavero vobis locum, iterum venio, et accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego, et vos sitis* (1): at Sancti non erunt ubique, sed in certo loco, et si in certo loco, certe in nobilissimo, id est, in cœlo; ergo et Christus homo in eo loco est, et erit.

Denique hæc est sententia omnium Sanctorum et præcipue Augustini epist. 57. ad Dard. ubi eum monet, ut recolat Symbolum, et simpliciter credat, Christum hominem post resurrectionem veram vere ascendisse in cœlum, atque ibi in certo loco nunc esse. Et lib. de Fid. et Symb. cap. 6. scribit, licet Ethnicus mirentur, quomodo corpus Christi in cœlo esse possit; tamen vere ita credendum esse: quod idem docet in lib. de agon. Christ. cap. 25. Nec rationes in contrarium aliquid probant.

Ad primam Illyrici dico: sententiam Petri omnino esse ambiguum tam Græce, quam Latine, sed quocumque modo exponatur, non sequi quod ipse vult. Nam si legamus: *Quem oportet cœlum suscipere* (2), ut sensus sit: *Oportet ut cœlum suscipiat Christum*, ut locus locatum; tunc sententia est pro nobis. Si vero sensus sit: *Oportet ut Christus suscipiat cœlum*; tunc etiam non erit contra nos. Nam ut Christus suscipiat cœlum, non est necesse ut Christus sit diffusus per totum cœlum, sed satis est, ut sit in aliqua parte cœli, sicut dicitur Rex suscipere regnum, vel palatium regale, vel thronum regium, quando incipit esse in regno, vel palatio, vel throno, etiam si non sit prærens re ipsa toti regno, vel throno, vel palatio.

Prima tamen explicatio est magis conveniens textui; nam dicitur: *Quem oportet cœlum suscipere usque ad tempora restitutionis omnium*: ubi non indicatur acceptio possessionis regni, quæ in momento fit, sed mansio in loco, quæ longo tempore durat, et hoc

(1) Joan. XIV, 2 et seq. — (2) Act. III, 21.

modo exponit Œcumenius. Est etiam conformior aliis locis, quæ dicunt, Christum assumptum, vel elevatum in cœlum, Marci ult. et Act. I., et profectum in cœlum, I Petri III.

Ad secundam rationem: nego idem esse, ascendere in cœlum et sedere ad dexteram Dei; nam in Symbolo non debet aliquid repeti, cum sit brevissimum compendium. Quid autem sit sedere ad dexteram Dei, dicemus postea.

Ad tertiam dico: non fuisse opus, ut Apostoli viderent Christum penetrantem omnes cœlos; nam si non habemus eorum testimonium de hac re, habemus testimonium Angelorum, qui Act. I., aperte indicant, Jesum assumptum in cœlum, et eadem forma descensurum ad iudicium; imo convenientius fuit, ut non viderent finem ascensionis illius; tum ne putarent esse illusionem, quandoquidem naturaliter non potest eo pertingere visus humanus; tum ut Fides etiam in ipsis locum haberet: sicut etiam non viderunt Christum incarnari, nasci, resurgere, imo nec mori, excepto Joanne; et tamen futuri erant prædicatores, et testes primi et præcipui omnium mysteriorum Fidei christianæ.

Ad primam Brentii dico: inde probari sententiam S. Thomæ, videlicet, quod Christi corpus supra sit convexum ultimæ cœli, non autem quod nusquam sit persona conspicua. Quamquam nec sententia S. Thomæ plane convincitur ex illis locis; responderi enim potest, ascendisse Christum super omnes cœlos, et excelsiorem cœlis factum, et penetrasse omnes cœlos, quia est in parte supremæ ultimæ cœli, atque ita habet sub pedibus summum cœlum pro maxima parte. Imo locus Hebr. IV, favet sententiæ Augustini; nam Paulus Heb. IV, alludit ad Pontificem Aaronicum, qui penetrabat singulis annis usque ad interiora velaminis, et ipsa Sancta Sanctorum, sed non ultra illa progrediebatur. Ita ergo et Dominus ut celestis Pontifex penetravit usque ad intimum recessum summæ cœli, sed non ultra progressus est, nec extra ipsum cœlum mansit.

Ad secundam dico: illa esse verba otiosa Brentii, ne dicam blasphema, cum in jocum converlat mysteria divina. Sed ne et ipsi joci noceant, respondemus: Christi corpus non redigi ad angustias poli antarctici, sed esse

in qua parte voluerit, nec periculum esse agitationis, cum cœlum empyreum quietum ponatur ab omnibus: nec illud sit perituum, licet inferiores cœli sint aliquo modo immutandi. Sed hæc omnia superant modum intelligentiæ hujus vitæ. Sat est cum Augustino lib. ult. Civit. Dei cap. ult., scire, in cœlo habitura corpora gloriosa statum et motum prout voluerint, sed omnino decentem.

Ad tertiam dico: Christum ascendisse in cœlum, ex quo descendit. Porro autem ex vero cœlo descendisse, licet metaphoricus fuerit ipse descensus; nec tamen inde sequi, etiam ascensum debere exponi metaphoricè, si descensus fuit metaphoricus; nam descensus fuit Verbi increati spiritualis et immensis, ascensus fuit carnis corporeæ creatæ, et finitæ.

CAPUT XIII.

Refellit Ubiquitas, quia repugnat præsentie corporis Domini in Eucharistia.

Tertio pugnat Ubiquitas cum ipso Sacramento Eucharistiæ, pro quo stabiliendo est excogitata. Nam si caro Christi est ubique, certe non egemus Eucharistia, et frustra imus ad templum, frustra recitamus verba Cœnæ, frustra paramur ad illam Cœnam, cum domi habeamus in pane et vino, et aliis omnibus cibis corpus Christi.

Lutherus in lib. quod verba Christi: *Hoc est corpus meum* adhuc firma stent, objicit sibi hoc argumentum his verbis: « Si corpus Christi est in omnibus locis, ægedum devorabo, et helluabor ipsum in omnibus hospitibus, et in omnibus scutellis, poculis, cantharis. » Respondet autem sic: « Audi tu porce, canis fanaticæ, aut quisquis fueris insulse asine, etiamsi corpus Christi sit in omnibus locis, non tamen tu statim ipsum vel devorabis, vel helluaberis. » Et infra: « Ablego te in haram tuam porcorum, vel in tuum sterquilium. » Summa responsionis est: licet sit ubique, non tamen posse ubique capi. Exponit exemplum de radiis Solis, qui nos undique attingunt; et tamen si quis velit illos includere in cistam, et secum ferre, non poterit.

At hæc solutio nihil valet. Nam si corpus Christi vere est ubique; non potest separari ab ulla re, et proinde est impossibile, ut habeam panem in mensa, vel in manu, vel in ore, vel in stomacho, et non habeam ibidem corpus Christi. Nec similitudo radiorum valet, quia radii non modo non sunt ubique, sed nec penetrare possunt corpora non transparentia.

Joannes Brentius in lib. de dnab. nat., et Ascens. Christ. respondet paulo aliter, vel potius explicat sententiam Lutheri. Dicit enim, corpus Christi ubique esse personatiter, sed in Cœna esse etiam definitive, id est, ex definitione et decreto Dei per consecrationem, qui modus essendi addit solum efficaciam: nam in Eucharistia sumitur efficaciter, et nusquam alibi.

Hæc solutio aperte includit Calvinismum: nam Brentius cogit dicere, nihil sumi in Cœna, quod non habeatur extra cœnam, nisi efficaciam corporis Christi; et proinde in Cœna non sumi revera corpus Christi, sed solum quandam energiam ejus. Et licet Brentius id non diceret; tamen sequitur evidenter ex Ubiquitate. Nam sicut, quia Deus est ubique, non potest moveri, nec per se, nec per accidens; et ideo nemo comedens panem, dici potest vere comedere Deum, licet in pane sit Deus: nam panem vere comedo, quia panis vere transit de manu ad os, de ore ad stomachum; at Deus non transit, quia simul est in manu, in ore, in stomacho, et ubique: ita etiam, si Christi corpus est ubique, non potest vere cum pane comedi, quia non potest vere transire cum pane de manu ad os, de ore ad stomachum, quia non potest moveri, cum sit ubique; ergo solum in Cœna Christi corpus fit præsens et manducatur per energiam, et non per realem sumptionem.

Vides, quomodo Lutherani et Brentiani, dum Calvinistas oppugnant, illis favent, et tamen Brentius in suo Testamento execratur Sacramentarios, nec patitur ullum locum eius in Ecclesia dari.

CAPUT XIV.

Refellitur Ubiquitas testimonii Patrum.

Pugnat ultimo Ubiquitas cum omnibus Patribus. S. Ambrosius lib. II de Fid. cap. 4. « Neque enim, inquit, Deus de loco ad locum transit, qui ubique semper est: ut homo, est qui vadit, ipse qui venit, denique et alibi dicit: Surgite eamus. In eo ergo vadit et venit quod est commune nobiscum. » Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 14. in fine: « Non enim, inquit, quia nunc non adest in carne, ex eo putes quod spiritu medio hic non adsit, audiens quae de illo dicuntur, et videns quae tu cogitas, et scrutans renes et corda. » S. Chrysostomus in illud Jo. III. *Filius hominis, qui est in caelo etc.* « Non carnem, inquit, sed a minori substantia totum seipsum denominat. » Rufinus in Symb. « Ascendit ergo, inquit, quia nunc non ubi Verbum Deus ante non fuerat, quippe qui erat semper in caelis, sed ubi Verbum caro factum, anteponebatur. »

Augustinus tract. 78. in Jo.: « Sed a quibus, inquit, homo abscedebat, Deus non derelinquebat, et idem ipse Christus homo et Deus. Ergo et ibat per id quod homo erat, et manebat per id quod Deus erat. Ibat per id quod uno loco erat, manebat per id quod ubique erat. » Et epist. 57. ad Dard.: « Non est autem consequens, inquit, ut quod in Deo est, ita sit ubique ut Deus: nam et de nobis veracissima Scriptura dicit, quod in illo vivimus, movemur, et sumus; nec tamen sicut ille ubique sumus, sed aliter homo ille in Deo, quoniam aliter et Deus ille in homine, proprio quodam ac singulari modo. Una enim persona Deus et homo est, et utrumque est unus Christus Jesus, ubique per id quod Deus est, in caelo autem per id quod homo. »

Cyrillus Alexandrinus lib. XI. in Jo. cap. 21. « Putabant, inquit, discipuli absentiam Christi, ut hominis dico (Deus enim ubique adest), multorum eis incommodorum causam futuram, cum non adesset, qui eos posset ab omnibus malis eruere, sed oportebat non solum in carnem Christi, verum etiam

in Deitatem respicere, quae quamvis oculis non cernatur, adest tamen semper summa cum potestate, nec quidquam est quod prohibere possit, qui omnia repleat, et quo velit peragat. Non enim loco aut dimensionibus circumscribibilis natura divina est. Quare cum Deus et homo Christus vere sit; oportuit eos intellexisse, ineffabili Deitatis potestate una cum eis semper futurum, etiamsi carne abesset. »

Theodoretus Dial. 2. « Igitur, inquit, corpus Dominicum surrexit quidem a corruptione et interitu alienum, et impatibile, et immortale, et divina gloria glorificatum, et a caelestibus adoratur potestatibus: corpus tamen est, et habet quam prius habuit circumscriptionem. » Et Dial. 3. « Atqui post resurrectionem, inquit, visum est circumscriptum, et habens manus, et pedes, et alias corporis partes, et tangi poterat, et sub aspectu cadebat, vulneraque et cicatrices habebat sicut ante resurrectionem. Duorum ergo alterum dicere necesse est, vel divinae ergo naturae has partes esse tributas, siquidem corpus in divinitatis naturam conversum has partes habuit, vel fateri corpus mansisse in sua naturae finibus. »

Leo serm. 2. de Ascens.: « Ineffabili, inquit, modo per Ascensionem cepit esse divinitate praesentior, qui factus est humanitate longinquior. » Gregorius hom. 29. quae est de Ascens.: « Illo revertebatur, inquit, ubi erat, et inde redibat, ubi remanebat, quia cum per humanitatem ascenderet in caelum, per Divinitatem suam et terram pariter continebat, et caelum. » Vigilii lib. I. cont. Eutych.: « Sed et nobiscum est, inquit, et non est nobiscum, quia quos reliquit, et a quibus discessit humanitate sua, non reliquit, neque deseruit divinitate sua. Per formam enim servi, quam abstulit a nobis in caelum, absens est nobis, per formam Dei, quae non recedit a nobis in terris, praesens est nobis. Et lib. IV: Deinde, inquit, si Verbi, et carnis una natura est, quomodo cum Verbum ubique sit, non ubique inveniat et caro? namque quando in terra fuit, non erat ubique in caelo, et nunc quia in caelo est, non est ubique in terra. »

Pulgentius lib. II. ad Trasimund. cap. 17: « Unus, inquit, idemque secundum humanam substantiam absens caelo cum esset in terra, et derelinquens terram cum ascendisset in caelum, secundum divinam vero immensamque substantiam, nec caelum di-

mittens eum de caelo descendit, nec terram deserens eum ad caelum ascendit. »

Ad haec testimonia respondet Kemnitius lib. de duab. nat. cap. 30. et multa dicit. Primo, Veteres loqui contra Manichaeos et Eutychianos, qui Christi humanitatem volebant conversam esse in immensam, et illocalem divinitatem. Secundo, voluisse Patres dicere, Christi humanitatem non esse ubique secundum naturales suas proprietates. Tertio, Patres velle, Christi humanitatem secundum visibilem formam non esse ubique diffusam, nec localiter, circumscriptive, et sensibilibiter nunc esse in terris.

At levia sunt haec omnia. Nam quod ad primam solutionem attinet: verum quidem est, Patres loqui contra Eutychianos, sed eos hoc argumento refellunt, quia cum Christi caro non sit ubique sicut divinitas; necessario distinctae naturae esse debent: qui ergo negant Patrum fundamentum, atque asserunt, Christi carnem esse ubique; aperte Patribus repugnant, et proinde a Patribus refelluntur.

Secunda item solutio nimis est debilis. Nam Patres non disputant de proprietatibus naturalibus carnis, sed simpliciter negant, illam esse ubique. Imo Augustinus in epist. ad Dard. ex professo tractat de eo, quod convenit carni non ex se, sed ex unione cum Verbo, et clarissime affirmat, non esse consequens, ut si Verbum est ubique, etiam caro illi unita ubique sit.

Tertia quoque solutio non est solida: tum quia nemo poterat dubitare, an Christi caro visibilibiter ubique esset diffusa, tum quia etiam Patres non opponunt carnem visibilem carni invisibili, sed carnem Deitati, et dicunt, Christum secundum Deitatem ubique esse, secundum carnem non ubique.

CAPUT XV.

Solvitur argumentum haereticorum.

Sed jam solvenda sunt argumenta adversariorum, quae partim a Scripturis, partim a testimonio Patrum, et Scholasticorum deponuntur.

(1) Sap. III. 1. — (2) Eph. II. 6.

Primum argumentum et praecipuum sumunt ex dextera Dei: nam Christus ut homo exaltatus est ad dexteram Dei Patris Matth. XXVI. Act. II. Ephes. I. Coloss. III. I. Pet. III. Heb. I et alibi: ad dexteram Dei est ubique, non enim est dextera corporalis, quae certo in loco statui possit; igitur Christus ut homo non est in certo aliquo loco, sed ubique.

Respondeo, et dico tria. Primo, si esse in dextera Dei accipiatur crasso modo, ut accipit Lutherus in lib., quod verba Domini *Hoc est corpus meum* adhuc firma stent, ubi probat Christi carnem esse ubique, quia est in dextera Dei, et non in minimo digito, aut ungue illius dexterae: dico, consequentiam nullam esse. Nam etiam dicuntur esse *animae iustorum in manu Dei* (1); et sine dubio non sunt in extremo digito, aut ungue illius manus, sed in tota manu. Et pari ratione manus Dei est ubique, et tamen non propterea animae iustorum sunt ubique: cuius ratio est, quia manus Domini non est ubique per extensionem, quasi partem habeat hic, et partem ibi, sed tota est hic, et tota ibi.

Secundo dico: per dexteram Dei a multis intelligi beatitudinem aeternam, non autem majestatem, aut potentiam divinam. Ita explicat Hieronymus in cap. I. ad Ephes. et Augustinus lib. de Fid. et Symb. cap. 7. et lib. de agon. Christ. cap. 26. qui non solum Christum vult sedere a dextris Dei, sed etiam omnes electos sessuros a dextris Dei, juxta illud Ephes. II. *Considerare nos fecit in caelestibus in Christo* (2). Et Matth. XXV. dicuntur oves futurae a dextris.

Et potest confirmari haec sententia ex eo, quod apud antiquos sedere a dextris erat minus honorificum, quam sedere a sinistris, ut observat et probat multis testimoniis Antonius Nebrissensis in explicatione quinquaginta locorum Scripturae. Unde etiam in sigillis plumbeis Pontificum, et in nullis antiquis picturis Petrus ponitur a sinistris, cum tamen constet, Petro semper delatum primum locum fuisse.

Si igitur Christus ut minor et inferior a dextris sedet; non ergo illa sessio debet referri ad majestatem divinam, in qua Filius Patri est aequalis, sed ad humanam gloriam et beatitudinem, quae convenit Christo ut minor est Patri: et secundum hanc expositionem argumentum haereticorum nihil va-

let. Nam esse hoc modo a dextris Dei, non requirit ubiuitatem, sed solam bestitudinem, quam habere potest etiam qui in minimo angulo Mundi tantum hæret.

Tertio dico: probabilius esse, per dexteram Dei, ad quam Christus sedet, intelligi debere gloriam, potentiam, et maiestatem divinam, ita ut sensus sit illius articuli, Christus sedet a dextris Patris, id est pari potentia, et honore regnat, iudicat, et gubernat omnia cum ipso Patre; ita ut dextera sumatur simpliciter pro latere, id est, pro loco æquali, non superiore, vel inferiore: nam in Psal. CIX. sicut dicitur Filius a dextris Filii: *Dominus a dextris tuis confregit in die iræ sue Reges* (1). Ex quo patet, dexteram significare æqualitatem.

Præterea ita exponunt fere omnes Patres. Athanasius Serm. 2. cont. Ariam. Basilus lib. de Spir. S. cap. 6. Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 14. Cyrillus Alexandrinus lib. XII. thes. cap. 7. Damascenus lib. IV. cap. 2. Leo Serm. 1 et 2. de Ascens. Chr. Denique Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius in cap. 1. ad Heb. et 1. ad Ephes. Ambrosius lib. II de Fid. cap. 4. et in cap. 1. ad Ephes. et alii.

Deinde idem indicant ipse Scripturæ. Nam Matth. XXII. Christus attingit locum Psalm. CIX. *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis* (2) ad probandam divinitatem suam, et cum Patre veram æqualitatem. Et hoc ipsum testimonium in Psalmi a Paulo affertur ad probandam Christi divinitatem, cum ait Hebr. I. *Sedet ad dexteram maiestatis in excelsis, tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditavit: cui enim Angelorum dixit aliquando, sede a dextris meis* (3).

Nec etiam convincit contra hanc sententiam illud quod affert Augustinus ex cap. II ad Ephes. *Consedere nos fecit etc.* Non enim sensus est, omnes nos esse sessuros ad dexteram Dei in propriis personis, sed in Christo, ut Paulus dicit: quia enim ejusdem speciei, et naturæ sumus cum illo homine, qui est in dextera Dei, omnes dicimur per illum sedisse in dextera Dei; alioqui enim tota Scriptura tribuit Christo soli sedere ad dexteram Patris.

Et secundum hanc expositionem argumentum hereticorum aliquid videtur valere. Nam

ista sessio ad dexteram Patris, quæ significat potentiam et maiestatem, data est humanitati Christi, ut patet Act. II: *Dextera igitur Dei exaltatus etc.* Ephes. I.: *Constituens ad dexteram suam* (4). Non enim convenit Deitati exaltari, et constitui ad dexteram. Ruffinus etiam explicat. Symb. dicit id datum humanitati, ut eveheretur ad dexteram Dei, et B. Leo Serm. 1 et 2. de Ascens. Chr. dicit, ipsam humanitatem evectam esse ad thronum Patris, et ad consortium gloriæ ipsius. Theodoretus quoque in Psal. CIX. et in I cap. ad Hebr. dicit, illud *Sede a dextris meis* dictum esse humanitati: nam Verbum non egebat Patris iussione ad sedendum.

Quæ cum ita sint, videtur jam negari non posse, quin ipsa humanitas sit prædita maiestatem divina, et proinde sit etiam ubique. Respondeo: datam esse humanitati istam sessionem, sed datam non ipsi in se, sed in supposito; non enim factum est, ut humanitas in seipsa sedeat ad dexteram Dei, sed ut sit humanitas illius personæ, quæ sedet ad dexteram Dei: sicut non factum est per Incarnationem, ut humanitas sit Deus, sed ut sit humanitas Dei; et proinde in concreto dici possit, iste homo est Deus, et sedet ad dexteram Patris, et apposita est similitudo de purpure Regis. Cum enim Rex induit purpuram, et sedet in solio suo, evehit purpuram ad illud solium, non sic, ut purpura dicatur sedere aut regnare, sed ut dicatur vestis sedentis aut regnantis, et etiam ut dicatur purpuratus Rex sedere aut regnare. Tametsi autem hoc factum sit in ipsa Incarnatione, tamen dicitur Christus sedisse a dextris Dei post ascensionem, quia tunc primum perfecte innotuit gloria, et maiestas huius hominis, ut dicitur Philipp. II.

Quod autem res ita se habeat, facile probari potest. Siquidem per dexteram secundum hanc explicationem intelligitur æqualitas honoris, et potestatis: humanitas autem nec est, nec esse potest æqualis Deo. Nam cum Dominus Jo. XIV. dicit *Pater major me est* (5), sine dubio intelligit ratione humanitatis: et I. Cor. XV. Apostolus scribit, etiam post diem iudicii fore Filium subjectum ei, *Qui subjecti ei omnia* (6); quæ etiam subjectio non potest, ut supra docuimus, recte intelligi, nisi ratione humanitatis.

Denique si humanitas est creatura, nonne

contradictionem involvit, ut sit, vel esse dicatur æqualis Creatori? Sed respondent: humanitatem Christi non esse æqualem omnino Deo, et tamen sedere a dextris ejus: nam habet quidem ipsam potentiam et maiestatem Dei, quod est sedere ad dexteram Dei, et tamen quia id non habet a seipsa, sicut habet Deus, sed habet a Deo; propterea non potest omnibus modis æquari Deo.

At hoc non difficulter refellitur. Nam habere ab alio, non facit inæqualitatem: nam Filius Dei habet a Patre omnia, et tamen est illi vere et proprie æqualis. Respondent: Filium habere naturaliter, humanitatem habere per gratiam. Contra. Nam habere per gratiam, non est habere illam ipsam maiestatem, sed quandam ejus participationem, quæ non sufficit ad constituendam sessionem, de qua loquimur.

Denique, vel est humanitas vere æqualis Deo, vel non est: si est; ergo falsum est illud *Pater major me est*, et illud *Filius subjectus erit ei, qui subjecti sibi omnia*: si non est; igitur non sedet Christi humanitas a dextris Dei hoc tertio modo, sed solum secundo modo; ex quo non colligitur ubiuitas, ut paulo ante demonstravimus.

CAPUT XVI.

Solvuntur aliæ objectiones ex Verbo Dei petite.

Secundum argumentum sumunt ex duobus locis. Nam in epist. ad Philip. cap. II. legimus, Christum esse in gloria Dei Patris. Quis sit autem gloria Dei Patris describitur Isai XL. ubi dicitur de Deo: *Quis aquas pugillo mensus est et cælum palmo ponderavit?* II. Paralip. II: *Cælum, et cæli cælorum eum capere nequeunt.* Et Hierem. XXIII: *Cælum et terram ego impleo* (1). Igitur Jesus Christus terram pugillo continet, et cælum palmo metitur, et cælum ac terram implet, id autem esse ubique.

Respondeo ut supra: datam esse gloriam Dei Patris humanitati Christi, non in ipsa,

sed in supposito, id est, per gratiam unionis accepisse Christi humanitatem, ut esset natura Filii Dei; et proinde illum hominem Christum esse in gloria Patris, et terram pugillo continere, et cælum ac terram implere.

Tertium argumentum Matth. XI. *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo.* Et Matth. ult.: *Data est mihi omnis potestas in cælo, et in terra* (2). Quo loco *omnis potestas* notat omnipotentiam in cælo, et in terra omnipresentiam; proinde Christus vere præsens omnia gubernat.

Addunt Brentius et Kemnitiuss illud Psal. VIII: *Omnia subjectisti sub pedibus ejus.* Et illud Jo. XIII: *Omnia dedit ei Pater in manus* (3): inde vero acute concludunt; ergo Christus ut homo, pedibus et manibus omnia contingit. Ac ne forte respondeatur: omnipotentiam et omnipresentiam ut res infinitas non posse communicari creature finitæ; addunt secundo, Christo datam esse potestatem in terra dimittendi peccata. Matth. IX, quæ tamen est infinita potestas: nam quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?

Respondeo: priora duo loca posse intelligi dupliciter; primo, de potentia divina quam accepit Filius Dei a Patre per æternam generationem; et tunc non sunt hæc loca ad propositum. Secundo, de potentia divina quam accepit natura humana per unionem hypostaticam, et tunc eadem est responsio, quæ ad superiora argumenta. Tertio, potest locus posterior intelligi de potentia collata Christi humanitati in omnes creaturas, quæ tamen nec est absolute omnipotentia, nec requirit omnipresentiam. Nam solum illis verbis significatur, omnibus creaturis Christi humanitatem præesse, et jus habere in omnes; ex quo non sequitur, quod possit quidquid Deus potest, vel quod sit ubique: cur enim non possit jus habere in rem absentem? nonne apud homines id ordinarie cernimus, ut Rex in universum suum regnum jus habeat; et tamen non occupet presentia sua, nisi exiguum angulum domus, vel cubiculi unius?

Ad primam confirmationem respondeo: miram esse istorum perversitatem, et impudentiam, qui tropos inveniunt, ubi minime oportet, et ubi oportet nolunt admittere: quid enim notius et usitatus, quam per ma-

(1) Psal. CIX, 6. — (2) Psal. CIX, 1. — (3) Hebr. I, 3 et 4. — (4) Act. II, 33; Eph. I, 20. — (5) Joan. XIV, 28. — (6) I. Cor. XV, 27.

(1) Isai. XL, 12; II. Paralip. II, 6; Jerem. XXIII, 24. — (2) Matth. XI, 27; Ibid. XXVIII, 18. — (3) Psal. VIII, 8; Joan. XIII, 9.

nas intelligere potestatem? Quid enim aliud significat illud Psal. XCIV. *In manu ejus sunt omnes fines terre?* Et illud Jo. X. *Et non rapit eas quisquam de manu mea* (1)? Quid item notius, et usitatus, quam describere per subjectionem sub pedibus attributionem domini? Adde, quod verba Psal. VIII, etiam si intelligantur præcipue de Christo; tamen possunt intelligi etiam de prima creatione hominis, quæ describitur in Genesi, et tamen constat, non tetigisse Adamum pedibus totum Mundum, licet de ipso dictum sit *Omnia subiecisti sub pedibus ejus* (2); nisi forte ad fabulas Judaicas convertamur. Scribit enim R. Solomon in cap. IV Dentæ., Adamum tantæ proceritatis fuisse, ut capite cœlum attingeret.

Ad alteram confirmationem respondeo: si ea concluderet aliquid, posse inde colligi, etiam cæteros homines esse ubique. Nam Jo. XX, Christus dedit potestatem discipulis remittendi peccata; ac proinde, si qui potest remittere peccata quovis modo, is potest esse ubique, certe Apostoli eorumque successores ubique esse potuissent. Dico igitur: remittere peccata propria auctoritate esse infinite virtutis; remittere autem ut instrumentum alterius non requirere infinitam virtutem, ut notum est. Jam ergo Christus ut Deus remittebat peccata propria auctoritate; idem vero ut homo remittebat ut instrumentum divinitatis.

Quantum argumentum XVIII: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Et Matth. XXVIII: *Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* (3). Respondeo: hæc dici de Christo, quatenus adest suis per gratiam et auxilium, ad quod non requiritur presentia corporalis, ut patet. Nam hoc modo, quo Christus adest congregatis in nomine suo, certe non adest congregatis in nomine alienorum Deorum: quare ex his locis non modo non colligitur; eum esse ubique, sed colligitur, non esse ubique.

Quantum argumentum Jo. V. *Filius quos vult vivificat.* Item: *Neque Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem* (4). Ex his enim habemus, Christo collata esse tria divina idiomata, nimirum, potestatem judicandi, virtutem vivificandi;

et majestatem summo honore dignam. Eadem autem ratio est de omnibus aliis idiomatibus; ergo omnia alia sunt ei tributa; ac proinde omnipotentia, et omnipresentia. Et ne respondeatur: hæc data esse Filio ut Deus est; additur ibidem: *Potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est* (3).

Et confirmat Brentius ex Cyrillo lib. de Incarn. cap. 7 et 28, ubi dicit, Verbum communicasse carni suæ majestatis operationes; et similia habet Leo epist. 83. ad Monach. Palæst.

Respondeo: tribus modis eum locum posse intelligi. Primo, ut omnia quæ hic dicuntur data Christo a Patre, intelligantur data ipsi Verbo per æteram generationem. Sic enim intelligit Chrysostomus in hunc locum, qui illud *Quia Filius hominis est* dicit debere conjungi cum sequentibus, non cum præcedentibus, ita ut non sic legamus: *Dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est*; sed sic: *Quia Filius hominis est, nolite mirari hoc*, id est, nolite mirari, si ego cum sim Filius hominis, tamen dixerim me habere potestatem vivificandi, et judicandi, et debere honorari ut Patrem, nam non sum Filius hominis tantum, sed etiam Filius Dei.

Secundo, potest intelligi ea ratione, ut illa omnia significantur data humanitati, non in se, sed in supposito, idque per gratiam unionis, ut supra diximus de sessione a dextris: ita videntur accepisse Augustinus et Cyrillus. Ex quorum explicatione non sequitur, Christi humanitatem habere in se formaliter divina attributa, sed solum esse naturam ejus suppositi quod illa attributa habet.

Tertio, potest intelligi in eo sensu, ut agatur de potestate judicandi, non quomodo-cumque, sed exterius et sensibiliter: quæ quidem potestas data Christo est, quia Filius hominis est. Nam quia iudex hominum in exteriori judicio debet videri a judicandis; ideo non Deus Pater, qui est invisibilis, iudicabit, sed iudicium dabit Filio, qui propter carnem assumptam factus est visibilis.

Ad confirmationem dico: Leonem, et Cyrillum in illis locis explicare communicationem idiomatum eo modo, quo nos supra exposuimus, ita ut sit realis respectu suppositi, verbalis autem respectu naturarum.

Nam ibidem docent Leo et Cyrillus, hanc

communicationem esse mutuam, ita ut etiam natura humana communicaverit Verbo suas passiones, et tamen ibidem asserunt, Verbi divini naturam esse omnino impassibilem.

Secutum argumentum Col. II: *In Christo habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.* Item: *In ipso sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ æternæ* (1), at si communicata est humanitati Christi omnis plenitudo Divinitatis, certe etiam omnipotentia, et omnipresentia.

Respondeo: aliud esse communicari humanitati Divinitatis plenitudinem, et thesauros sapientiæ, quod Paulus non dixit: aliud inhabitare divinitatem, et latere thesauros scientiæ in Christi humanitate, quod Paulus dixit. Nam illud primum significaret, Christi humanitatem esse Deum, quod non significat hoc secundum: sicut non quia aliquis in domo habitat, ideo dicitur domus esse homo, aut habere formaliter attributa hominis; solum ergo Paulus voluit dicere, in Christi humanitate habitare divinitatem corporaliter, id est, non umbratice, ut in Angelis et Prophetis, qui gerebant Dei personam, sed vere, ita ut ille homo vere fuerit Deus, et illa humanitas, Dei fuerit humanitas.

Septimum argumentum cap. IV ad Eph.: *Ascendit supra omnes cælos ut impleverit omnia* (2): quod exponit Eusebius hoc modo, quia antea Divinitate omnia repleverat, descendit, et ascendit, ut etiam carne omnia replet: ubi videtur velle, Christum ad eum modum replevisse omnia corporali presentia, quemadmodum antea omnia repleverat majestate Divinitatis. Item Theophylactus ibidem dicit, non fuisse impedimento Christo descensum ad ascensum, quia nimirum simul poterat ubique esse.

Respondeo: primo illud *Ut impleverit omnia* posse intelligi de adimplerione vaticiniorum. Nam fuerat prædicta a Prophetis tam descensio quam ascensio: et quamvis hanc explicationem irrideant adversarii; tamen adhuc eam non confutarunt. Secundo dico: posse intelligi de impleione locorum sed per effectus suos; voluit enim Christus omnia replere gloria sua, et in omnibus operari mirabilia. Tertio, potest intelligi de repletionem locorum successiva, accipiendo per loca, genera locorum, sicut dicitur aliquis fuisse in tota Europa, quia fuit in omnibus provinciis Europæ, etsi non fuerit in omni-

bus oppidis, vel domibus Europæ. Ita enim Christus fuerat in terra, ambulaverat super mare, fuerat in aere, in cruce, fuerat sub terra, in inferno; debuit ergo ascendere in celum, ut omnia loca presentia sua illustraret et repletet.

Imo hic idem locus manifeste docet, Christum non replevisse omnia presentia carnis suæ; nam descendere, et postea ascendere repugnat repletioni: debuisset potius diffundere se, quam descendere et ascendere, si omnia simul replere volebat; imo nec fuit opus descendere, vel ascendere, vel etiam diffundere se, si ubique semper fuit.

Nec Eusebius et Theophylactus contrarium docent. Nam Eusebius solum ait: «Christi carnem replevisse omnia.» Quod intelligitur eo modo quo poterat, id est, non simul, sed successive obeundo omnia loca. Et Theophylactus non dixit, Christi descensum non impedivisse quo minus simul ascenderet, sed non impedivisse quo minus ascenderet, nimirum postea. Hortatur enim Theophylactus ad humilitatem, et ostendit, quod quo magis hic sese aliquis dejiciet, eo magis exaltabitur, sicut in Christo factum est. Itaque perperam hi duo auctores allegantur ab auctoribus Concordiæ.

CAPUT XVII.

Solvitur argumentum ex ipsa Incarnatione ductum.

Octavum argumentum. Per Incarnationem id factum est, ut esset una persona Deus et homo: persona autem est individua substantia; ergo non potest una pars personæ ab altera ullo modo divelli; ergo ubicumque est una, ibi est altera. Confirmatur primo ex Concilio Chalcedonensi, act. 5. et Concilio VI, act. 47, et Leone epist. 83. ad Monach. Palæst., ubi habemus, Incarnationem factam esse ex duabus naturis indivisibiles inseparabiliter, et inconfuse; ergo ubi una est, etiam altera: alioqui quomodo sunt indivisæ et unitæ inseparabiliter, si una est in cœlo, et

(1) Psal. XCIV, 4: Joan. X, 28.1. — (2) Psal. VIII, 8. — (3) Matth. XVIII, 2; XXVIII, 20. — (4) Joan. V, 21 et seq. — (5) Joan. V, 27.

(1) Coloss. II, 9 et 3. — (2) Eph. IV, 10.

altera est in terra? Et confirmatur iterum ex Damasceno lib. III., cap. 3. qui non solum dicit, naturas in Christo unitas esse inseparabiliter, sed etiam ἀναρτήτως, id est, indistincte; ergo una nunquam distat ab altera: at quomodo non distant, si una non est ubi est altera? Confirmatur ultimo, si caro Christi non est ubique cum Verbo; sequitur, Verbum alicubi esse hominem, alicubi non esse hominem, quod sane absurdissimum est.

Respondeo: cum dicitur in definitione personæ individua substantia, non significatur talis indivisio, ut ubi est una pars personæ, ibi sit altera: id enim patet esse falsum; nam nostræ manus et pedes, et cætera membra occupant diversa loca, et tamen unam personam faciunt. Dicitur igitur persona individua substantia, quia est unum subsistens non divisum in se ratione subsistentiæ, et divisum ab omnibus aliis: et talis est Christus Deus et homo.

Ad primam et secundam confirmationem dico: unionem inseparabilem, et indistinctam non requirere, ut unum sit ubicumque est aliud, sed tantum ut alicubi simul sint: nam si nusquam simul essent, tunc vere inter se distarent. Exemplo existat globus Solis. Is unitus est inseparabiliter, et indistincte suo orbi, et tamen orbis Solis totum orbem inferiorem ambit, et est simul in Occidente et Oriente, quod Solis globo non convenit.

Instant: Sol non est unitus suo orbi secundum totum, sed secundum partem tantum: at humanitas est unita toti Verbo. Respondeo: humanitas est quidem unita toti Verbo, quia Verbum est indivisibile: tamen non propterea adequat ejus immensitatem. Itaque sicut stella, quia minor est molis quantitate, quam sit suus orbis, non potest simul esse ubicumque est ipsius orbis: ita humanitas Christi, quia est minor Verbo quantitate virtutis, non potest esse ubicumque est Verbum, licet ab eo non separaretur, nec distet.

Ad ultimam confirmationem dico: illam propositionem *Verbum alicubi non est homo* esse falsam, si significet Verbum alicubi deservisse humanitatem. Licet enim alicubi sit Verbum ubi non est humanitas; tamen etiam ibi Verbum est homo, quia Verbum ibi existens sustentat humanitatem ut suam et propriam, licet alibi existentem. Quomodo anima rationalis in pede existens

unita est cum capite, et informat caput, licet caput ibi non sit ubi sunt pedes.

CAPUT XVIII.

Solvitur argumentum ex Patrum testimonio petium.

Nonum argumentum ex Patribus: ac primo proferunt Chrysostomum hom. 47. in epist. ad Hebr. sic dicentem de Christo: « Quid dicis, inquit, nisi intraverit in cælum non apparebit Deo qui ubique est et omnia replet? » Respondeo: in verbis sequentibus esse solutionem. Intueris, inquit, quia carnis sunt hæc omnia? quibus verbis Chrysostomus docet, Christum qui ut Deus ubique est; tamen secundum carnem deuisse intrare in cælum, ut apparet vultui Dei pro nobis, quia secundum carnem non erat in cælo antequam ascenderet.

Secundo proferunt Cyrillum epist. 1. ad Success. « Dei, ut dixi, inquit, proprium corpus existens omnia humana transcendit. » Item lib. XII in Jo. cap. 32. explicans de vestibus Christi in quatuor partes divisus, et tunica indivisa manente dicit, hoc significare, Christi carnem impartibiliter communicari hominibus omnibus, qui sunt in quatuor Mundi partibus: « In singulos, inquit, partibiliter transiens unigenitus, et animam atque corpus eorum per carnem suam sanctificans, impartibiliter atque integre in omnibus est, cum unus ubique sit nullo modo divisus. » Quod idem fere iisdem verbis habet Theophylactus in cap. XIX. Jo.

Respondeo: in primo testimonio tantum asserit Cyrillus, corpus Dominicum transcendere dignitate omnia humana, sed non inde sequitur esse ubique. Sed quoniam Brentius litteris majusculis hæc verba Cyrilli imprimi curavit, tanquam si argumentum insolubile illis paucis verbis contineretur, oportet accuratius respondere.

Igitur ex duobus colligitur, quomodo intelligat Cyrillus, Christi corpus omnia humana transcendisse. Primo ex præcedentibus; nam Cyrillus deducit hæc suam sententiam ex verbis illis Pauli II. Corinth. V: *Et si cognovimus secundum carnem Christum,*

sed nunc jam non novimus (1). Ubi Paulus voluit dicere, Christum nunc non habere carnem passibilem, et fami, siti, injuria, morti obnoxiam, sicuti dicit I. Corinth. XV: *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt.* Et Hebr. V: *Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesque, etc.* (2) Nam alioqui idem Paulus I. Timoth. II dicit. Christum etiam nunc esse hominem, et I. Corinth. XV prolixè ostendit, Christi corpus vere resurrexisse. Hoc ergo etiam vult Cyrillus, Christi corpus jam transcendisse omnia humana, id est, omnes humanas passiones. Secundo patet ex sequentibus. Nam explicans Cyrillus ipse, quid sit *omnia humana*, dicit, esse factum incorruptibile, et vivificum, et gloria ineffabili illustratum, non autem addit, esse factum immensum, et ubique existens.

Quod autem attinet ad alterum testimonium, Cyrillus et Theophylactus disputant eo loco de Eucharistia, ut patet ex sequentibus, ubi ponunt typum Agni Paschalis: quocirca non voluerunt significare, Christi carnem esse absolute ubique, sed ubique ubi sunt qui communicant; potest enim fieri ut simul in omnibus Mundi partibus distribuatur communicio. Quid autem intersit inter hæc Ubiquitatem, et eam quam ponunt hæretici, supra ostendimus in secundo nostro argumento, nimirum, esse Christum ubique ubicumque sunt hostiæ consecratæ, non est esse absolute ubique, nec infinitis locis simul, nec postulat immensitatem: esse autem ubique ubicumque est Verbum, est esse absolute ubique, et esse, vel esse posse in infinitis locis simul, et plane immensitatem divinam requirit.

Tertio, proferunt Ambrosium lib. VII in Luc. cap. 47. in illud: *Si quid supererogaveris* (3). « Quando, inquit, revertaris Domine nisi in die iudicii? nam licet ubique sis semper, et stans in medio nostrum, non cernaris a nobis, erit tamen tempus quo universa caro aspiciat te revertentem. » Hæc ibi: ubi videtur dicere, Christum secundum eam formam esse ubique invisibiliter, secundum quam videbitur ab omnibus in die iudicii; illa autem forma humana est. Respondeo: eundem Christum reversurum in forma humana, et qui est ubique in forma Dei, et eundem videri, et non videri ratione duarum naturarum, sive formarum.

Quarto, proferunt Hieronymum in lib.

cont. Vigilant., ubi dicit agnum Dei, id est, Christum esse ubique. Item in epist. 148. ad Mareel., ubi proponenti Marcella questionem de Christo, an post resurrectionem illis 40 diebus alicubi tantum fuerit, id est, in terra, an vero latenter aliquoties ascenderit in cælum, et descenderit de cælo; respondit: Non fuisse opus Dei Filio sapius ascendere, ac descendere, cum semper ubique sit. Qua responsione aut Hieronymus docuit, Christi corpus semper esse ubique, aut certe insignis impostor fuit: nam de corpore interrogatus fuerat, non de Divinitate.

Respondeo ad primum locum: ibidem haberi solutionem: proinde miram esse Brentii impudentiam, qui ejusmodi loca propterea solum proponit, ut fallat incautos. Hæc enim sunt verba S. Hieronymi: « Si agnus, inquit, ubique; ergo et hi qui cum Agno sunt, ubique esse credendi sunt. » Hæc ille. At certum est, Sanctos non esse ubique simul, sed successive, id est, posse migrare ad quæ loca voluerint: cur ergo non eodem modo intelligamus Agnum esse ubique, hoc est, posse continuo adesse ubicumque voluerit?

Ad secundum dico: Hieronymum cum ait, Filium Dei esse ubique, loqui de sola Deitate, id quod verba ejus testantur: « Stultum, inquit, est illius potentiam unius corpusculi parvitate finire, quem non capit cælum: et tamen qui ubique erat, etiam in Filio hominis totus erat. Divina quippe natura, et Dei sermo in partes secari non potest, nec locis dividi: sed, cum ubique sit, totus ubique est. » Ubi vides, Hieronymum asserere, non finiri divinam potentiam parvitate unius corpusculi Christi, et proinde latius patere Deitatem quam carnem Christi. Item vides, Hieronymum dicere, Dei naturam et Sermonem Dei, id est, Filium ut Deum esse ubique, et simul totum in homine Christo, quia indivisibilis est Deitas, licet omnia repleat.

At, inquit, Marcella non petierat de Deitate, sed de humanitate, nec ignorare poterat illa, Deitatem esse ubique. Respondeo: Marcellam proposuisse questionem de Domino; et quia Dominus duas habet naturas, Hieronymus recte respondit, Dominum secundum unam naturam semper ubique fuisse. Nec est incredibile, Marcellam, aut eum cujus nominè questionem illa propo-

(1) II. Cor. V, 16. — (2) II. Cor. XV, 50; Hebr. V, 7. — (3) Luc. X, 35.

nit, suspicatum fuisse, Verbum Dei non fuisse extra suam humanitatem. Nam videmus etiam, Augustino propositam similem questionem a Volusiano : An, videlicet, Verbum Dei reliquisset cœlum, et intra anius corpusculi angustias se redegisset. Vide ep. 3. Augustini. Certe Hieronymus tota sua responsione hanc suspensionem tollere conatur, ne credatur, Deus reductus ad angustias unius corpusculi.

Quinto, proferunt Augustinum Serm. 14. de verb. Apost. : « Sedet, inquit, in cœlo, qui ambulat in terra; in cœlo erat, quia ubique Christus, idemque Christus et Filius Dei, et Filius hominis. » Respondeo : hæc omnia de persona dicuntur, non de natura humana; unde paulo post loquens de Christo in terris degente ante passionem, ait : « Propter unitatem personæ in terra Filius Dei, propter eandem unitatem in cœlo Filius hominis. » Vides, non dictum esse, in cœlo humanitatem, in terra Deitatem, sed in cœlo Filium hominis, id est, personam, in terra Filium Dei, id est, eandem personam, quia ubique est illa persona.

Sexto, proferunt Gelasium in lib. de dnab. nat. : « Quod, inquit, dictu auditque fugiendum est: vel homo Deus esse jam desinat, si sola illic humanitas, non etiam Deitas perseverat; vel Deus homo consequenter desinat, si sola illic divinitas, non etiam humanitas unita permaneat. Respondeo : illud *Illic* non significare locum, sed Christum, seu mysterium Incarnationis; vult enim dicere : « Si in Christo sit sola divinitas, aut sola humanitas, jam Christus non erit Deus, et homo. » Et patet ex verbis sequentibus : « Videbitur, inquit, quod abhorret animus dicere, sed cogit necessitas non tacere, Divinitas in utroque mutabilis, si vel in carnem est ipsa cōversa, vel sic est in Deitatem humanitatis transfusa conditio, ut proprietates ejus esse desierit.

CAPUT XIX.

Solvitur argumentum deproptum ex doctrina Scholasticorum.

Decimum argumentum ex Scholasticis. Contendit Brentius, hanc suam Ubiquitatem esse doctrinam, non modo antiquorum Pa-

trum, sed etiam præcipuorum Scholasticorum. Ac primo profert Magistrum in lib. III, dist. 22. ubi dicit : « Christus totus est, ubicumque est, sed non totum. » Quid autem sit, totus ubique, sed non totum, exponi dicit Brentius a Thoma 3. p. quæst. LIII, art. 3. ubi Thomas docet, Christum totum esse ubique, sed non totaliter, quia nullo loco circumscribitur.

Addit Bonaventuram in III, dist. 22. quæst. II, qui sic ait : « Cum dicitur : *Iste homo est ubique*, hoc pronomen *Iste* demonstrare potest personam Christi, vel singulare hominis. Si personam Christi, sic absque dubio ista vera est : *Iste homo est ubique* : si vero singulare hominis, adhuc vera est, sed non per propriam naturam, sed per communicationem idiomatum, quia quod convenit Filio Dei per naturam, convenit Isti homini per gratiam. »

Postremo allegat Compendium Theologicæ veritatis lib. I, cap. 17. ubi sic habetur : « Corpus Christi licet non sit ubique, cum sit creatura, nec æquari possit in hujusmodi Creatori; in pluribus tamen locis est totum sub diversis hostiis, et hoc propter unionem carnis ad Verbum. » At ista ratio, inquit Brentius, concludit, illud esse plane ubique, nusquam enim non est personalis unio carnis ad Verbum. Quare aut Compendium pugnat secum, aut cum dicit, Christi corpus non esse ubique, intelligit, non esse ubique per se, sed gratia Dei. Respondeo : Scholasticos omnes ex professo contrarium docuisse, ut etiam hinc impudentia Brentii non mediocriter illustretur. Ac primum Magister cum ait : « Totus Christus est ubique, sed non totum, » seipsum ibidem explicat, sic dicens : « Totum ad naturam refertur, totus ad hypostasim, etc. » Itaque totus Christus est ubique, quia persona divina tota est ubique : at non totum Christi est ubique, quia altera naturarum ejus non est ubique.

Porro S. Thomas loc. cit. cum dicit, Christum totum esse ubique, sed non totaliter, quia non circumscribitur loco, non exponit Magistrum, nec loquitur de corpore Christi, sed de persona divina. Unde in corp. art. dicit, in triduo mortis animam Christi fuisse in inferno, corpus in sepulchro, Deitatem ubique. Et cont. Gent. lib. IV, cap. 49. : « Verbum Dei, inquit, non habet subsistentiam ex natura humana, sed magis naturam humanam ad suam subsistentiam, vel personalitatem trahit; unde nihil prohibet, Ver-

bum Dei esse ubique, licet humana natura a Verbo Dei assumpta ubique non sit. » Et in III, dist. 22. quæst. I, art. 2. « Respondeo, inquit, dicendo, quod humana natura Christi non est ubique. »

Jam vero Bonaventura in III, dist. 22. qu. II, tam clare loquitur, ut non possit clarius: nam proposita questione: An Christus ubique sit homo; respondet his verbis : « Quæstio ista potest esse de re, et de sermone : si de re, de plano respondendum est, quod humanitas Christi non fuit, nec est, ubicumque est ejus divinitas, quia divina natura est immensa et infinita, unde nullum locum sibi determinat : sed humana natura dum sit creata, locum sibi determinat. Similiter ratione humanitatis quantum est de se, in uno tantum loco est : quod enim sit in pluribus, hoc est sub Sacramento. » Hæc ille.

Cum igitur postea addit, Filium hominis esse ubique per communicationem idiomatum, quia Filio hominis convenit per gratiam id, quod Filio Dei convenit per naturam; non loquitur de re, sed de modo loquendi. Nam quia per gratiam unionis (de ista enim gratia loquitur, non de creata aliqua gratia) factum est ut una sit persona Deus et homo; ideo recte dicitur, Filius hominis est ubique, quia nimirum illa persona, quæ est Filius hominis, est ubique.

Denique Compendium illud Theologicæ, cum dicit, Christi corpus esse in pluribus locis Sacramentaliter propter unionem ad Verbum, non vult dicere, rationem formalem et immediatam cur sit corpus Christi in pluribus locis, esse unionem ad Verbum; tunc enim pugnaret secum nimis aperte, et deberet concedere, etiam extra Sacramentum Christi corpus esse in pluribus locis; imo etiam fuisse ab ipsa conceptione : sed indicare voluit, propter unionem ad Verbum, posse hominem Christum statuere sum corpus in pluribus locis; quia enim ille homo est Deus, ideo potest hoc facere : nos enim, qui tantum homines sumus, possumus quidem a Deo, si ipse voluerit, poni in pluribus locis, sed non possumus nos ipsos ponere in pluribus locis.

Et deinde, quidquid sit de isto Compendio, certum est, Scholasticos Doctores omnes, Albertum, Durandum, Scotum, Gabrielem, et cæteros in III, dist. 22. disertis verbis, et summo consensu hoc ipsum docere : omnes enim dicunt, de re ipsa non esse questionem, cum certum sit, carnem Christi non

esse ubique : de modo autem loquendi statuunt tres regulas.

Prima est, quando quaeritur an Christus homo sit ubique; si homo sit subjectum propositionis; absolute concedendum est esse ubique, quia tunc vox *Homo* supponit pro supposito. Itaque ista est vera simpliciter, Christus homo est ubique.

Secunda est, si *Homo* sit predicatum, et adverbium *ubique* teneat se ex parte subjecti; similiter concedenda est propositio. Itaque cum dico, Christus ubique est homo, verum dico, si illud *ubique* teneat se ex parte subjecti; est enim sensus, Christum, qui est ubique, esse hominem.

Tertia est, si *Homo* sit predicatum, et *ubique* teneat se ex parte predicati, tunc falsa est propositio. Nam cum dico, Christus ubique est homo, si ubique efficit conjunctionem subjecti cum predicato, significat, Christum in omni loco habere secum presentem humanitatem, quod est falsum.

CAPUT XX.

Solvitur postrema objectio ex naturali ratione deducta.

Ultimum argumentum Brentii. Christus homo sine dubio est summe felix, summe pulcher, summe beatus; ergo est ubique præsens : nam loco circumscriptum esse, et de loco in locum ambulare non est divina excellentiæ, sed corporeæ imbecillitatis; non coelestis majestatis, sed terrestris parvitatatis; non spiritalis pulchritudinis, sed carnalis deformitatis.

Respondeo : beatum esse enim (ut definit S. Augustinus lib. XIII. de Trin. cap. 3.) « Qui habet omnia quæ vult, et nihil vult male » : pulchritudinem autem esse membrorum proportionem, cum suavitate coloris, ut idem Augustinus habet lib. XXII. de Civ. Dei cap. 49. Ex quibus sequitur, Deo, qui est natura immensus, neesse esse ad felicitatem et pulchritudinem ut ubique sit : si enim non ita esset, non haberet quidquid vellet, aut aliquid mali vellet. At vero homini, qui nature est finitæ et corporeæ, et habet instrumenta motus, malum et turpe esset, si moveri non posset, et si omnia reple-

ret, ita ut periret forma et figura conspicua membrorum. Argumentum igitur Brentii tam est admirabile, ut plane contrarium efficiat ejus, quod efficere debebat.

Sed hoc loco præterire non possum illa verba Brentii: « Loco circumscriptum esse, et de loco in locum ambulare, non est divinæ excellentiæ, sed corporeæ imbecillitatis; non cœlestis majestatis, sed terrestris parvitatatis; non spiritualis pulchritudinis, sed carnalis deformitatis. » Quid enim aliud spirant hæc verba, quam verissimum Eutychnismum? Nam si Christi humanitati tollas esse corporeum, terrenum, et carneum, ut

Brentius tollit, et tribuas divinam excellentiam, cœlestem majestatem, et spirituales pulchritudinem, ut Brentius tribuit; nonne manifeste mutabis humanitatem in Deitatem, et mysterium Incarnationis omnino dissolves? Nimirum huc Satanas ab initio spectabat, cum Lutherum excitavit, et paulatim per Indulgentiarum, Purgatorii, et similibus rerum reprehensionem, tandem eo res deveniret, ut Christus ipse, et summa Fidei nostræ mysteria impie abnegarentur. Sed de his satis. Veniendum enim jam est ad postremas de Christo disputationes.

CONTROVERSARUM

DE CHRISTO

LIBER QUARTUS

DE CHRISTI ANIMA.

CAPUT I.

Proponitur controversia prima de scientia animæ Christi.

Discernimus hactenus de Christi Divinitate, et Incarnatione; nunc de anima ejus, non quidem omnia quæ a Theologis disputari solent, sed ea solum, quæ ab hæreticis hujus temporis in dubium revocantur, explicare aggrediamur.

Duæ sunt igitur de Christi anima hujus temporis controversiæ una de perfectione ipsius; altera de descensu ad inferos: ac ut de priore prius dicamus. Fuit hæresis antiqua Agnoitarum, qui, auctore Themistio Diacono, ut referunt B. Liberatus in Breviar. cap. 19. et B. Gregorius lib. VIII, epist. 42. docebant, Christum ignorasse diem judicii: neque vero divinitati Christi, sed animæ eam ignorantiam tribuebant, ut planum est ex eorum argumento; sic enim colligebant. Verbum accepit corruptibile corpus, ut moriendo pro nobis, nos a morte liberaret; ergo accepit etiam nostram ignorantiam, id est, mentem humanam ignorantem, ut nos ab ignorantia liberaret.

Hanc hæresim sequuntur omnes fere hujus temporis hæretici, qui asserunt, Christi animam paulatim didicisse, quæ vere ignorabat, et aliquid etiam egisse, quod corrigi debuisset: quod etiam si peccatum fuisse illi

non audent dicere; tamen peccatum revera fuit, si corrigi debuit.

Martinus Lutherus in Conc. de Nat. Dom. tractans locum Marci XIII. *De die illo*, etc.: « Intempestivam, inquit, narrationem quidam hic afferunt dicentes, Filius nescit, id est, noluit scire. Quid opus est istis commentis? Christus verus homo fuit, quare ut alius purus sed sanctus homo, non quolibet tempore cogitavit, dixit, voluit, intellexit omnia. » Et infra: « Sicut enim non quolibet tempore omnia vidit, audivit, atque sensit, ita etiam corde non omnia semper agnovit, sed quantum illud duxit ac docuit Dominus. » Similia habet idem Lutherus in hom. Dom. I. post Epiph. explicans illud *Proficiebat sapientia et gratia* (1).

Zwinglius quoque in Confess. ad Carol. V. art. I. dicit, Christi sapientiam paulatim crevisse.

Bucerus in cap. XXIV Matth. : « Ut ergo, inquit, omnia alia humanæ infirmitatis in se recepit, hominibus per omnia similis factus, excepto peccato, ita etiam humanam scientiam, et ignorantiam, Rationem videlicet mentemque humanam, quæ per intervalla augetur, sive accrescit, sive diminitur, assumpsit; secundum quam nimirum aliquid nescire dicitur; ideo alibi habetur: *Proficiebat, sapientia, ætate et gratia.* »

Calvinus in cap. XXIV Matth. : « Porro ter et quater, inquit, insanus foret, qui se gravatim ignorantiam subiceret, quam ne ipse quidem Dei Filius nostra causa subire abnuisset etc. » Similia habet in cap. II. Luc. et utitur argumento eodem, quod Agnoitæ.

(1) Luc. II, 52.